

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0127

0125

0131

0121

0136

0116

0176

0076

0226

0026

0626

Ende

Anfang

116

inde in vallem Josaphat respiciunt, ad ecclesiam Assumptionis
beatae Virginis orant, ut ejus meritis et intercessione futurum
judicem ibi laeti videamus. Deinde convertunt se in eodem
loco contra aquilonem et civitatem sanctam Jerusalem respi-
ciunt, et contra templum Salomonis orant, et uno intuitu
omnia loca civitatis sanctae contemplantur. Hoc facto magis
ab aquilone contra occidentem se convertunt ad ecclesiam
sancti sepulchri dominici, Anastasim, de qua tamen nihil
aliud videre possunt, nisi supremum culmen campanilis vel
turris ejusdem ecclesiae, objiciente se monte Syon, et contra
hanc devotius orant. Post hoc consurgunt et ante domum
Hannae pontificis venientes orant, a qua usque ad domum
Caiphae procedunt, et ibi oratione fusa convertunt se ad mo-
nasterium, et ad locum divisionis Apostolorum veniunt. Inde
ad capellam S. Johannis, in qua Missam celebrare consuevit
et cottidie beatam Virginem communicavit. De illa capella
transeunt in beatae Virginis domicilium, in quo diem suum
clausit supremum. Et ab huc loco ad locum electionis S.
Matthiae in apostolum, S. Jacobi in episcopum, septem viro-
rum bonorum in VII diaconos, et inde transeunt in coeme-
terium suorum confratrum ibi sepultorum, eos alloquuntur et
pro eis orant. Et hoc facto per portam reingrediuntur et
cum silentio quilibet se in cellam suam recipit ad quiescendum.
Et hoc modo cottidie cum eis circuvi, me cum eis manente.

